Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

dicit modicū: Dicebant ergo quid loquitur. Cognouit autem iesus quia uolebant
eum interrogare: et dixit eis. De hoc queritis inter uos quia dixi modicum et
non uidebitis me: et iterum modicum et uidebitis me. Amen amen dico uobis quia
plorabitis et flebitis uos: mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini:
sed tristicia uestra uertetur in gaudium. Mulier cum parit tristiciam habet: quia
uenit hora eius. Cum autem peperit puerum. iam non meminit pressure propter gau
dium: quia natus est homo in mundum. Et uos igitur nunc quidem tristiciam habetis:
iterum autem uidebo uos. et gaudebit cor uestrum. Et gaudium uestrum nemo
tollet a uobis. Feria. uj.

Filioli. Hec scribo uobis: ut non peccetis. Sed si quis peccauerit: aduo
catum habemus apud patrem iesum xpm iustum: et ipse est propitiatio pro
peccatis nostris: non pro nostris autem tantum. sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus
quoniam cognouimus eum: si mandata eius obseruemus. Qui dicit se nosse eum
et mandata eius non custodit: mendax est et ueritas in eo non est. Qui autem seruat
uerbum eius: uere in eo caritas dei perfecta est. In hoc scimus quoniam in ipso sumus.
Qui dicit se in ipso manere: debet sicut ille ambulauit et ipse ambu
lare. Karissimi: non mandatum nouum scribo uobis. sed mandatum uetus quod ha
buistis ab initio. Mandatum uetus est uerbum quod audistis. Iterum man
datum nouum scribo uobis. quod est uerum et in ipso et in uobis: quoniam tenebre transie
runt. et uerum iam lucet: presertim xpm dominum nostrum. Sp. Joh.

Illo tp. Facta est questio ex discipulis iohannis cum iudeis de purificatione:
et uenerunt ad iohannem. et dixerunt ei. Rabbi: qui erat tecum trans iordanem
cui tu testimonium perhibuisti: ecce hic baptizat. et omnes uenerunt ad eum.
Respondit iohannes: et dixit. Non potest homo accipere quicquam: nisi
fuerit ei datum de celo. Ipsi uos in testimonium perhibetis quod dixerim
ego non sum xpc: sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam: sponsus
est. Amicus autem sponsi qui stat et audit eum: gaudio gaudet propter
uocem eius. Hoc igitur gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere: me
autem minui. Qui de sursum uenit: super omnes est. Qui est de terra: de terra
est. et de terra loquitur. Qui de celo uenit. super omnes est: et quod uidit et
audiuit hoc testatur: et testimonium eius nemo accipit. Qui accip